Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1629
Quelle:
Copyright:



pellaretur, *Sermones*que noſtri ad illum pertineant.

VII. *fol.* 193. Sermones breves in *Ferias Quadrageſimales* et Feſtum *Paſchatis* inſcripti: *Incipit Anglicus In capite Jejunij.* Initium: *Conuertimini ad dominum quoniam benignus et miſericors eſt. Ioel. 2. Quoniam ſecundum decurſum temporum omnia conuertuntur in hoc tempore* &c. Difficile eſt inter tot *Anglos* Sermonum Scriptores Autorem diſpicere. Seculo ſaltem XIV. viximſſe, ipſa manus *Codicis* evincit.

Adſcriptum eſt ad calcem *Decretum* quoddam *Epiſcopale* fine die et conſule de Numero Dierum feſtorum et Jejuniorum obſervando, in quo cum bis *Rupertus*, ſemelque *Virgilius* memoretur, Sedi *Salisburgenſi* adtribuendum cenſeo.

Ad compingendum *Codicem* utrinque adhibita eſt Membrana a *Codice Hebraico*, qui *folii* forma fuiſſe videtur, avulſa, inſignis vetuſtatis, literis ad modum *Germanorum* formatis, luculentis et punctatis, unde Specimen quoddam Adhortationis ſeu Deprecationis, quae novum *παραγραφον* orditur, adſcribam:

מַכְנִיסֵי רַחֲמִים הַכְנִיסוּ רַחֲמֵינוּ לִפְנֵי בַעַל הָרַחֲמִים מַשְׁמִיעֵי תְּפִלָּה הַשְׁמִיעוּ תְּפִלָּתֵנוּ לִפְנֵי שׁוֹמֵעַ תְּפִלָּה מַשְׁמִיעֵי צְעָקָה הַשְׁמִיעוּ צְעָקָתֵנוּ לִפְנֵי שׁוֹמֵעַ צְעָקָה מַכְנִיסֵי דִּמְעָה הַכְנִיסוּ דִּמְעוֹתֵינוּ לִפְנֵי מֶלֶךְ מִתְמַנֶּה בִּדְמָעוֹת הִשְׁתַּדְּלוּ וְהַרְבּוּ תְּחִנָּה וּבַקְּשָׁה לִפְנֵי מֶלֶךְ אֵל רָם וְנִשָּׂא הַזְכִּירוּ לִפָּנָיו וְהַשְׁמִיעוּ לִפָּנָיו תּוֹרָה וּמַעֲשִׂים טוֹבִים שֶׁל שֹׁכְנֵי עָפָר ·

Quaſi dicas: *O, qui colligitis miſerationes, colligite miſerationes noſtras ante faciem Domini miſerationum! Qui offertis preces, offerte preces noſtras ante faciem Audientis preces! Qui offertis clamorem, offerte clamorem noſtrum ante faciem Audientis clamorem! Qui colligitis lacrimas, colligite lacrimas noſtras ante faciem Regis numerantis lacrimas! Contendite et iterate ſupplicationem et poſtulationem ante faciem Regis Dei excelſi et elevati! Repraeſentate ante faciem Ejus et offerte ante faciem Ejus legem et opera bona habitantium in pulvere.* Quae eleganter Hebraice expreſſa ad *Angelos* dirigi videntur.

CCCCXXI.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 264. 4. currente calamo perſcriptus, olim *Auguſtinenſium Ratisb.* ad Religionis negotia in *Bohemia* pertinet, et complectitur Sequentia: I. *Conſilia doctorum Pragenſium ne articuli Johannis Wycleff prohibiti et condempnati teneantur.* Initium: *Quia fundamentalis vnio Chriſtianorum eſt, quod omnes ſint vnanimes in fide* &c. Renovatur de 476